



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Disputatio XXXVII. Natura, essentia & causis privilegii in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

DISPUTATIO XXXVII.

DE

Natura, essentia & causis privilegii
in genere.

AD calcem tractatus de Legibus, disputandum est de privilegiis, quippe pertinentibus ad modos, quibus legi iurique communi derogari solet. Priusquam tamen de privilegiis certo hominum generi concessis in particulari discurremus, præmittimus unam, alteramque Disputationem de privilegiis in communi, & primò quidem examinamus privilegii naturam, definitionem, & divisionem: exinde illius causas extrinsecas, & proprietates inspicimus.

ARTICULUS I.

Quid sit privilegium?

SUMMARIÆ.

1. Privilegii definitio.
2. In quo privilegium cum lege conveniat?
3. In quo a lege differat?
4. Cur dicatur Lex privata?
5. Cur speciale beneficium concedens?
6. Differentia privilegii a gratia Principis.
7. Ejus differentia a dispensatione & rescripto.
8. Leges penales pro tuenda quorundam immunitate non sunt privilegia.
9. Non obest privilegio, quòd sit insertum juri communi.
10. Nova concessio gratiæ, jam prius jure communi obviante, aliquo sensu est privilegium.
11. Duplex effectus privilegii.
12. Privilegium debet esse notificatum privilegiato, & ab illo acceptatum.
13. Debet etiam esse sufficienter manifestatum iis, qui obligantur, ne impediant.
14. Rationabilis causa est aliquando de valore privilegii.
15. Absolutè non requiritur ad valorem privilegii contra jus clausula derogans juri communi.
16. Requiritur tamen, si juris communis clausula resistat privilegio.
17. Saltem quoad privilegia antecedentia.
18. Ad valorem privilegii contra consuetudinem & jus particulare requiritur clausula derogans.
19. Diversa gratia ad sui valorem scripturam exigunt.
20. Gratia Pontificia ante expeditionem litterarum dicitur informis quoad iudicium externum, non quoad forum conscientie.

§. I.

Definitio privilegii.

1. **R**ecepta privilegii definitio est ex Isidoro c. privilegia. dist. 3. & c. Abbati de V. S. est lex privata speciale beneficium concedens.
2. Dicitur primò Lex, non univocè, quasi omnes legis condiciones participet, sed minùs pro-

priè, & secundùm quid: quia quoad modum à quem legis naturam imitatur, & adumbrat. Primò: quia ex parte formæ requirit voluntatem Superioris concedentis, à qua ipsius vis & vigor ad instar legis dependet. Secundò: quia pro forma extrinseca requirit signum, quo Principis voluntas privilegiato manifestetur, sive illud consistat in viva voce, sive in scripto. Tertio: quia materia privilegii debet esse honesta, & rationabilis juri Divino, vel naturali non adversaria. Quarto: quia privilegium, etiam non exigat, admittit tamen perpetuitatem, quæ legi est propria.

Differt tamen privilegium à lege primò: quia non ligat privilegiatum ad utendum suo privilegio, uti econtrà lex stringit subditum: & tamen tertius teneatur non impedire privilegiatum ab usu sui privilegii, illa tamen obligatio dicitur non oriri ex privilegio, cujus objectum est favor privilegiato concessus; sed ex ipso jure naturæ quemlibet obligante, ne alium in jure quæsito impediatur. Differt secundò: quia lex ad sui valorem requirit causam justam & rationabilem non item privilegium, quamvis ad licitam ejus concessionem aliqua causa rationabilis [qualis sunt bonum etiam privatum privilegiati, ejus scientiæ, virtutis, bonorum remuneratio, &c.] juxta Salmantic. c. 1. p. 1. n. 6.] requiratur. Tertio: quia lex fertur pro tota communitate, habetque pro fine intrinseco bonum commune, adeò, ut illo ablato totus vigor legis concidat: at privilegium respicit particulare bonum privilegiati. Unde

Dicitur secundò. Lex privata: partim quia concedit aliquod privatum, hoc est, particulare beneficium, partim quia illud concedit non omnibus, sed privatis & particularibus. Neque refert, quòd privilegia dentur etiam integrè communitaribus, v. g. Clericis, Religiosis, Soldatis, militibus &c. nam & isti accipiunt privilegia, prout sunt pars alicujus Superioris communitatis, à qua in usu privilegiorum seceduntur.

Dicitur

5. Dicitur tertio: *speciale beneficium concedens*, nam de ratione privilegii est, ut ejus materia sit favorabilis, utque per illud concedatur facultas aliquid agendi, vel non agendi, recipiendi, vel non recipiendi, quæ de jure communi non competebar.
6. Ex his deduces primò. Privilegium differre à gratia & beneficio Principis, tanquam speciem à genere, & inclusum ab includente: nam omne quidem privilegium est favor, gratia, beneficium Principis; at non omnis gratia est privilegium; uti patet in collatione alicujus beneficii Ecclesiastici, abfolutione à censura, dispensatione, &c.
7. Deduces secundò. Privilegium differre à dispensatione & rescripto; ab illa, quòd ista semper sit contra legem, legis vulnus, & relaxatio, neque sit naturæ suæ stabilis & permanens; At privilegium possit etiam esse præter legem, & suapte naturæ stabilitatem amet & permanentiam, esto non semper sit perpetuum. A rescripto differre, partim quia rescriptum etiam continet gratias & beneficia Principis, quæ non sunt privilegium; partim quia rescriptum semper datur in scripto; eum privilegium dari possit etiam viva vocis oraculo.
8. Deduces tertio. Leges pœnales, quibus cavetur inimunitati quarundam personarum, non esse privilegia: quia directè non favoris concessionem, sed onerosam aliquorum obligationem concernunt.
9. Deduces quartò. Favores certo personarum generi in jure communi concessos, non ideo amittere naturam privilegii; cum nihilominus contineant specialem gratiam aliis eodem jure communi non concessam.
10. Deduces quintò. Novam concessionem alicujus gratiæ jam antea à jure communi concessæ, eatenus dici posse privilegium, novumque favorem tribuere, in quantum supposita tali concessionem tenentur Superiores privilegiatum speciali assistentiâ in usu sui privilegii defendere, & per simplicem revocationem juris communis ejusmodi gratia concessa revocata non censetur, nisi fiat specialis ipsius mentio, ut habent Suarez, Salas, Haunoldus, Petschacher, &c.
11. Deduces sextò. Privilegium potissimum duplicem operari effectum: unum directum respectu privilegiati, nempe jus utendi suo privilegio; alium indirectum respectu aliorum, qui est obligatio ejusmodi privilegio non obfistendi.

§ II.

Requisita substantiæ ad privilegium.

Datum fuit in priori §. ad valorem privilegii ex parte formæ requiri voluntatem privilegiantis, seu habentis potestatem conferendi privilegium; ex parte verò materiæ, ut res concessa sit materia honesta, Juri Divino & naturali non repugnans, sitque favorabilis privilegiato. Ulterius

Quæres primò. An ad valorem privilegii requiratur, ut sit suo modo publicatum, seu innotatum, & acceptatum à privilegiato?

12. Respondeo. Ut Privilegium tribuat privilegiato jus exercendi actus per privilegium concessum.

R. P. Mezg. Schol. Tom. II.

fos, oportet, ut sit ipsi notificatum, & acceptatum. Ita videtur supponi in c. 1. de concess. præbend. & habet Glossa in c. quia cunctis. Suarez lib. 2. c. 25. n. 15. Sanch. l. 1. de matr. disp. 6. n. 10. Reding q. 18. a. 2. controv. 1. n. 2.

Ratio est primò: quia privilegium est quædam liberalis donatio; sed ista non habet effectum, priusquam sit notificata & acceptata à donatario; ergo nec illa. Unde secundò: Libertas non acquiritur per rescriptum manumissionis, donec servus sciat & acceptet. l. qui absenti. ff. de acquir. possess. Neque tertio legitimitas per audent. quibus modis naturales &c. §. illud tamen. Et quartò, quamdiu quis ignorat, se habere jurisdictionem, non tenet actus; neque enim actus jurisdictionis conceditur ignoranti: l. hæc autem. §. non defendi. ff. ex quibus causis in possess.

Quæres secundò. An etiam privilegium debeat esse aliis publicatum, qui obligantur, ne privilegio contraveniant?

Respondeo. Ut privilegium pariat secundarium & indirectum effectum obligandi alios in conscientia, ne privilegii usum impediatur, sufficit, ut tantam habeant illius privilegii notitiam, quanta requiritur ad moralem ejus certitudinem, vel fidem prudenter habendam; hoc ipso quippe jus naturale incipit obligare, ne privilegiatus in jure quæsto impediatur. Ut verò etiam obliget in foro externo, requiritur illius manifestatio per ostensionem instrumenti, vel testes legitimos, qui de concessione privilegii, aut publico ipsius usu fidem faciant. Suar. cit. c. 24. n. 10.

Quæres tertio. An aliquando ad valorem privilegii justa & rationabilis causa requiratur?

Respondeo. Esti juxta prius dicta defectus justæ & rationabilis causæ privilegii concessionem non reddat invalidam, sed duntaxat illicitam; cum nempe materia privilegii penitus subest jurisdictioni concedentis, si tamen privilegium datur in bonis, quæ non omnimodè, sed tantum secundum rationabilem dispensationem Principi subijciuntur, ad ejus valorem etiam rationabilem causam requiri, uti contingit in concessione Indulgentiarum ex meritis Christi & Sanctorum, in quibus summus Pontifex disponit Christi nomine, quæ proinde si fieret sine justa & rationabili causa [quod tamen difficulter præsumi potest] Christus illam ratam non haberet. Reding. cit. n. 10.

Quæres quartò. An ad valorem privilegii contra jus requiratur clausulæ expressæ derogans Juri communi?

Respondeo negativè; si privilegium non possit habere effectum, nisi derogando juri communi, & nisi jus commune sit qualificatum per clausulam resistentem privilegio, nempe non obstantibus quibuscunque privilegiis in contrarium.

Ratio primæ partis est: quia Princeps non præsumitur ignorare jus commune, c. 1. de constitut. in 6., aut velle concessionem inutilem facere. Ideoque dans privilegium, in actu exercitio juri communi derogat; & constat ex C. in his, de privilegiis, ubi rejicitur quædam interpretatio privilegii, per quam illud inutile reddebatur.

Ratio 2. partis est: quia si nudò privilegio derogaretur juri communi qualificato per clausulam

lam resistentem privilegio, illa clausula foret inanis & nullius roboris, adeoque ut privilegium juri communi prævaleat, necesse erit adjungi clausulam derogatoriam: *Non obstante quacunque lege in contrarium*, uti tradunt Suarez c. 14. n. 16. Palao n. 10. aliique.

17. Quam tamen doctrinam non improbabiler limitari posse ad privilegia legem clausulatam tantum antecedentia, quippe quæ per talem clausulam revocata censentur, non autem ad consequentia, quippe quæ nullum aliàs effectum producerent, tenent Salmantic. cit. n. 9.

18. Quæres quintò. An ad valorem privilegii contra consuetudinem, vel legem particularem requiratur clausula derogans: *Non obstante quacunque consuetudine, vel statuto in contrarium?*

Respondeo affirmativè. Quia Princeps non præsumitur leges particulares aut consuetudines scire. per c. 1. de conscri. in 6. unde requiritur expressa clausula significans voluntatem derogandi etiam consuetudini, vel statuto particulari. Ita Authores citati.

19. Quæres sextò. An aliquando scriptura sit necessaria ad valorem privilegii.

Respondeo. Etsi juxta superius dicta regulariter non sit necessaria scriptura ad valorem privilegii, siquidem iste dependet à voluntate

concedentis, quæ non minus vivâ voce, quam scripto potest innoscere; tamen ad quoddam gratias (potius quam privilegia) per specialem exceptionem scripturam esse necessariam, prout est facultas non residendi in beneficiis curam animarum habentibus; & facultas ingrediendi intra septa Monasterii Monialium: per Tridentinum Sess. 25. de Reform. c. 1. & c. 5. Palao p. 4. §. 1. ubi plura refert exempla ejusmodi gratiarum.

Dices. Ante expeditionem litterarum gratia censetur informis, ut colligitur ex Reg. Cancell. 25.: ergo, ut sit perfectum & consummatum privilegium, requirit scripturam.

Respondeo. Gratiam à Summo Pontifice concessam dici informem in ordine ad iudicium & forum externum, ubi deest ipsi perfectio sufficiens ad ferendum iudicium; non autem in ordine ad forum internum conscientia, ubi gratia vivâ voce concessa jam est perfecta & formata, ut jus impetranti acquirat. ex c. si probè de rescriptis 6. c. fin. de concess. præbend. in 6. Palao loco cit. n. 1. qui etiam observat, gratias ab aliis Principibus concessas non tantum in foro conscientia, sed etiam externo suffragari, si per testes sufficienter probentur, cum nullo jure cautum sit oppositum, uti tenet Mascardus de probat. conclus. 845. n. 11.

ARTICULUS II. Quotuplex sit privilegium?

SUMMARI A.

1. Exponitur divisio privilegii in reale, & personale.
2. Res, cui privilegium annectitur, alia corporea, alia incorporea.
3. Exempla privilegiorum realium.
4. Pleraque privilegia Regularium sunt realia.
5. In dubio unde discernendum, sine privilegium reale, vel personale?
6. Privilegium cause concessum in dubio habendum est pro reali.
7. Divisio privilegii in contra, vel ultra jus.
8. In gratiosum, & remuneratorium.
9. In perpetuum & temporale.
10. In affirmativum, & negativum.
11. In commune & singulare.
12. In favorabile & odiosum.
13. In scriptum, & non scriptum.
14. In privilegium pro foro conscientia tantum, & pro foro externo.
15. Licet aliquando privilegio dato pro foro penitentiali uti extra Sacramentum tenet Penitentia.
16. Quid sit privilegium ad instar?
17. Exponitur clausula *Mais proprii*.
18. Quando nam tollat vitium subreptionis?
19. Quid sit & operetur clausula ex certa scientia, & de plenitudine potestatis?
20. Exponitur clausula: *quatenus SS. Canonibus & Decretis, &c.*

§. I.

Divisio privilegii in reale & personale.

1. **M**ultæ sunt privilegiorum divisiones & species, quarum potiores hoc articulo exponi-

mus: & in primis divisionem privilegii in reale, & personale. ex c. privilegia. ff. de Regul. Juris. & c. mandata. de præsumpt. Nam licet omne privilegium personam respiciat, quippe quæ sola est ipsius capax: aliud tamen conferitur personæ ratione & intuitu ipsius individua personæ; aliud verò intuitu rei, quæ personæ annectitur, puta, loci, officii, dignitatis, alteriusve qualitatibus, &c. prius dicitur personale, posterius reale. Personale sequitur personam, & cum ea expirat. c. privilegium de R. I. in 6. Reale sequitur rem, & transit ad omnes, in quibus res invenitur. l. Imperatores. ff. de publicanis.

Porro res, cui privilegium annectitur, alia est corporea, ut Ecclesia, Monasterium, &c. Alia incorporea, ut Episcopatus, Doctoratus, Clericatus, Monachus, &c. Unde omne privilegium alicui communitati concessum est reale, & perpetuum. Reale, quia tametsi singula communitatis membra, & individua illius personæ privilegio gaudeant; ideo tamen gaudent, non quia sunt singulares personæ, sed quia sunt eadem qualitate totius communitatis; Perpetuum est; quia communitas & certum genus hominum in communi durat perpetuo, & fictione juris habetur quasi pro persona perpetua. l. proponatur 76. ff. de iudiciis. Suarez l. 8. c. 3. Pal. p. 2. §. 1.

Unde colliges primò, privilegium concessum filiisfamilias, ne mutuo; fœminis, ne fidejussione obligentur; privilegium militum in faciendis testamentis sine solemnitatibus; restitutionis in integrum concessum minorennibus Reipubl. causâ absentibus, esse privilegia realia, quia concessa

duntur ejusmodi personis quatenus affectis aliqua communi qualitate certi generis hominum perpetuo duraturi, Suarez, Haunold, cum communi.

4. Colliges secundò. Ferè omnia privilegia concessa Regularibus esse realia; quia conceduntur toti alicui Religioni, Provincia, Ecclesie, etiam si concedantur pro certis membris communitatis v. g. Confessariis, Concionatoribus, Lectoribus &c. nam & his conceduntur intuitu communitatis, & quatenus sunt membra ipsius, ideoque sunt perpetua, & transeunt de persona in personam. Bordon. tr. 2. relolut. 52. Salmanticenses l. c. n. 19.

5. Sed quid si dubitetur, utrum privilegium sit reale, an personale?

Respondeo: in primis attendendam esse formam verborum, quæ si dirigantur potius in officium, conditionem, & dignitatem personæ, erit reale; si verò ad individuum personam, ipsam nominando, erit privilegium personale; e. g. si in privilegio dicitur, Tibi Archiepiscopo Salisburgensis, Tibi Rectori Universitatis &c. erit signum realis privilegii. Si dicitur, Tibi Francisco, Joanni, &c. erit personale.

Secundò. Si significetur privilegium concedi ob speciales qualitates personæ, v. g. ob scientiam, prudentiam, sanctitatem, merita tua in mitterendis subsidiis &c. erit personale; si verò exprimitur perpetuitas, & propogatio in hæredes v. g. in perpetuum, vel materia concessa sit talis, quæ etiam Successoribus concedi solet, erit privilegium reale. Tertiò. Si neque ex his satis liqueat, attendendum est, an privilegium sit *adiosum*, quia nempe, vel juri communi, vel alterius tertii adversum, vel an sit *favorabile*, continens meram gratiam citra alterius præjudicium. Si primum, judicandum est esse personale, quia, quæ à jure exorbitant, non debent trahi in consequentiam, suntque strictioris interpretationis *c. odia 15. & que à jure 28. de R. I. in 6.* Si secundum, judicari debet esse reale, quia decet concessum à Principe beneficium esse mansurum. *c. 16. de R. I. in 6. & l. 3. ff. de Constit. Principum* dicitur, beneficium Principis quam plenissimè interpretari debere. Ita Sanchez, Suar. Palao cit. Engel l. 5. Tit. 33. n. 4. Salmanticenses n. 20.

6. Si privilegium in tali dubio foret in favorem Religionis, vel causæ piæ expeditum, tamen juri communi derogaretur, nihilominus habendum est pro privilegio reali, & latè interpretandum: quia summum jus est, quod pro Religione facit. *l. si persona. ff. de relig. & sumpt.* Si demum possidenti privilegium ut reale, oriatur dubium, sitne reale, an personale? merito poterit illud habere pro reali, eò quòd in dubio melior sit conditio possidentis. Salmanticens. ibidem n. 21.

§. II.

Exponuntur aliæ complures divisiones privilegii.

7. Communissima divisio privilegii est in privilegium *contra jus*, & *ultra*, vel *præter jus*. Contra jus, quo juri communi derogatur, est que proinde strictè interpretationis, ut exemptio à

decimis solvendis &c. Ultra jus, cujus actus vel materia non est quidem jure prohibita, sed tamen non nisi certis personis concessa, ut potestas dispensandi, absolvendi à reservatis &c.

Dividitur tertiò: in *gratiosum & remuneratorium*. Gratiosum est, quod etsi non excludat omnem respectum ad merita privilegiati, ceu causam impulsivam; datur tamen ex pura gratia, & non per modum præmii, vel satisfactionis pro obsequiis, aut meritis præstitis. Remuneratorium est, quod datur in compensationem pro meritis exhibitis, ideoque in sua concessione requirit specialem mentionem meritorum, e. g. *ob hæc & illa merita concedimus tibi præsens privilegium &c.* Quòd reducit altera divisio in privilegium *purum & conventionale*, illud sine, istud verò datur cum conditione, vel obligatione alicujus operis onerosi. Remuneratoria [qualia esse omnia privilegia Regularibus in communi concessa ex Summ. Pontif. Bullis ostendunt & docent Rodriq. qq. Reg. to. 1. q. 6. a. 6. Bordon. to. 2. relolut. 52. n. 25. Peyrinis to. 3. c. 4. n. 24. aliisque communiter] & maximè conventionalia sunt plerumque perpetua adinstar contractuum, & non nisi ex urgentissima causa bonum publicum concernente revocantur. Engel l. 5. Tit. 55. n. 5.

Ex his colligitur quarta divisio privilegii in *perpetuum & temporale*. Perpetuum est, quod ex vi concessionis, & rei cui conceditur, potens est perpetuo durare. Temporale, quod ex vi concessionis tempore limitato finitur: idque tripliciter fieri potest: primò ex parte concedentis, si nempe concedatur duntaxat pro ejus vita, vel pro alio tempore limitato, siquidem existentia & duratio privilegii à concedentis intentione dependet. Secundò ex parte privilegiati, si nempe concedatur soli personæ, cum qua extinguitur per *c. privilegia de R. I. in 6.* Tertiò ex parte ipsius privilegii, si detur sub tali conditione, quæ tractu temporis finitur, aut suapte naturâ nequit perpetuo durare, ut ex Haunoldo Magnif. P. Pettschacher cit. §. 2.

Quintò privilegium dividitur in *affirmativum & negativum*. Affirmativum est, quo conceditur facultas aliquid faciendi; negativum, quo conceditur facultas aliquid omittendi. Affirmativum potest ex se esse præter, vel contra jus; quippe & actio concessa per privilegium potest esse contra vel præter jus; contra, ut facultas die jejunii comedendi carnes; præter jus, ut facultas eligendi Confessarium &c. Negativum semper est contra jus vel certum, vel saltem dubium, quia aliàs per illud nihil concederetur, cum quilibet possit omittere, quæ agere non tenetur.

Sextò dividitur privilegium in *commune & singulare*. Commune est, quod directè & immediatè in bonum commune conceditur, ideoque per se primò pro aliqua communitate expeditur, tamen mediatè cedat in bonum singulorum, qui sunt membra illius communitatis, ut est privilegium fori concessum Clericis. Cui privilegio nemo particularis renuntiare potest. *c. si diligenti, de foro competent. c. si contingat de sentent. excommunicat.* Nemo quippe renuntiare potest, quod sibi directè non conceditur. Singulare est, quod

quod ob commodum singularis personæ conceditur, ideoque ad singulares personas quæ tales dirigitur, ut privilegia Bullæ Cruciatæ, idque à privilegiato renuntiari potest. per *c. ad Apostolicam, de regular. l. si quis in conscribendo, C. de pallis*. tum quia non decet beneficium invito concedi: tum quia privilegiatus efficitur Dominus privilegii in suum favorem concessi, nisi illud simul cedat in alterius favorem, neque utriusque favor ab invicem separari possit; in qua hypothese absque alterius consensu renuntiari non potest, quemadmodum uxor sine mariti consensu Senatusconsulto Vellejano non potest renuntiare. Suar. l. 8. c. 6. Salmanticens. n. 25.

12. Septimò dividitur in *favorabile & odiosum*. Illud est, quod in nullius gravamen redundat, sive sit ultra, sive contra jus, ut privilegium faciendi testamentum sine solemnitatibus, celebrandi Missam tempore interditi, &c. Odiosum est, quod ita favet privilegiato, ut tertio gravamen aut nocumentum inferat, ut privilegium non solvendi decimas, exemptionis à jurisdictione, &c. Ubi tamen advertunt Salmanticens. cit. n. 28. quando per privilegium principaliter favor intenditur, tamen per accidens & ex consequenti sequatur alterius damnum, privilegium esse simpliciter favorabile, & lata interpretationis, sicut est privilegium canonis concessum Ecclesiasticis, quantumvis percipientibus sit odiosum. Et ita sentiunt Sanchez, Tamburinus, Azor, Palao, Laymann, Suarez, quos vide apud prædictos Salmanticenses.

13. Octavò dividitur in *scriptum & non scriptum*. Scriptum est, quod per scripturam conceditur, sive illa sit corpori Juris inserta, sive alio modo authentica, eaque requiritur pro foro externo: nam in foro conscientie non requiri patet ex dictis. Non scriptum, vel est ore tenus à Superiore concessum, & dicitur *viva vocis oraculo*, vel per consuetudinem, legitimamve præscriptionem introductum: Cui hoc est speciale, quòd si privilegia rescripto Principis revocentur, privilegia tamen per consuetudinem obtenta, nisi illorum specialis fiat expressio, revocata non censeantur. Haunhold n. 170. Palao n. 3. Suarez l. 8. c. 7.

14. Nonò dividitur in privilegium *pro foro conscientie tantum*, & *pro foro externo*. ubi privilegium pro foro conscientie est, quod solum prodest, ut quis salvà conscientia illo uti possit, non verò ut quis exterius, & in foro contentioso pro privilegiato agnoscat. Pro foro externo est, quod non tantum prodest in conscientia, sed etiam in iudicio externo: qualia sunt omnia privilegia Regularium, ut constat ex Bullis Summi Pontificis, & tradunt Bordon. to. 2. resolut. 52. Salmanticenses hic n. 32.

15. Dubium est, an si privilegium concedatur pro foro penitentiali, liceat illo uti extra Sacramentum penitentiae? Multi probabiliter negant: nihilominus probabilis etiam est illorum sententia, qui distinguunt: Vel actus concessus in privilegio, est absolutio à malo culpæ, quod non nisi per sacramentalem absolutionem tollitur; & tunc privilegium extra Sacramentum penitentiae exerceri non potest, ut per se patet: Vel

est à malo poenæ, ut sunt penitentia, censura, excommunicatio &c. quæ extra Sacramentum Penitentiae imponi & auferri solent: & tunc datur exercitium privilegii etiam extra forum sacramentale: quia cum talis absolutio sit vere penitentialis, datur in foro conscientie penitentiali, licet non sit in foro sacramentali, quòd sit è appellatur penitentiale. Ita cum Sylvest. Rossella, Tabiena docet Suarez cit. c. 6. n. 15. Palao tract. 3. disp. 4. p. 2. §. 5.

§. III.

Exponuntur quedam Clausula privilegiorum.

Solent aliquando Pontifices concedere privilegium ad similitudinem & exemplum alterius, quòd vocatur privilegium *adinstar*, & duplici modo concedi potest: primò, nihil exprimens de punctis contentis in privilegio; ut si dicatur, *concedo tibi privilegium, quòd Petro concessi*. Et tunc ad valorem privilegii requiritur, ut privilegium, quòd tanquam exemplar supponitur, ab initio habuerit effectum & valorem. Secundò, ut expressè in privilegio exponatur beneficium, quòd concedit, e. g. *concedo tibi facultatem carnes comedendi, sicuti concessi Petro*: & tunc privilegium concessum non irritatur, tametsi Petri privilegium ab initio fuisset nullum: quia tunc in concessione privilegii particula ad similitudinem non apponitur ut conditio, sed tantum exempli gratia. Ita Suar. c. 15. Palao p. 2. §. 8. Garc. tract. 8. diff. 1. qui addunt, privilegium *adinstar*, tametsi tantum generaliter & absque explicatione materie concessum, non vitari, si privilegium exemplare ab initio validum, postea fuerit amissum, diminatum, vel renuntiatum, quia non in conservari, sed in fieri tantum dependet à privilegio exemplari. Ex quo reddè inferunt Salmant. n. 39. Si qua Religio extingueretur, non ideo extinctum in illa privilegia, quæ adinstar illius, & per communicationem alteri Religioni fuissent concessa. Sed de communicatione privilegiorum infra ex instituto.

Clausula *ex motu proprio* facit differre privilegium ab eo, quòd conceditur *ad instantiam partium*: istud enim habet pro suo motivo petitionem vel instantiam privilegiati, seu alterius ipsius partes gerentis, alias non concedendum. Quòd verò conceditur *ex motu proprio*, datur à Principe solum à se moto independenter à qualibet petitione; licet fortè petitio præcesserit; non enim datur, quia petitum, sed sicut petitum est. Porò nunquam præsumitur gratia concedi ex motu proprio, nisi hæc clausula exprimat: quia continet in se exclusionem, & negationem universalem omnis alterius motivi, quæ non nisi ex terminis illam exprimentibus constare, aut probari potest, ut constat ex *c. si motu proprio, de prebendis in 6.* & tenent Sanchez. l. 8. de matrim. disp. 1. n. 6. Suar. c. 12. n. 6. Laymann l. 1. tra. 4. c. 23. n. 8. Palao tract. 3. d. 4. p. 2. §. 6.

Effectus motus proprii est, quòd tollit virtutem subreptionis, si istud proveniat ex tacturitate veritatis, quæ explicanda fuisset, sive nulla præcesserit supplicatio, ut habent DD. communiter et cit.

ex cit. c. si motu proprio, si ve præcesserit supplicatio, sed defectuosa, & non omnem exprimens veritatem, quæ si fuisset cognita, privilegium à Principe concessum non fuisset: quia per clausulam ex motu proprio censetur Princeps supplere velle defectum ex parte informationis diminuta. Ita Palao & Sanch citati. Salmant. n. 41.

Erit tamen privilegium ex motu proprio invalidum, si huic causam dedit error causæ finalis, ut si falsa causa exprimitur in supplicatione; non enim Princeps intendit concedere privilegium, nisi subsistente causâ, à qua finaliter movetur. Rursus invalidatur motus proprius, si concedatur inhabili, non prius obtentâ dispensatione: vel si sit contra consuetudinem, ac legem particularem. Ita Suarez cit. c. 12. n. 14. Menoch. l. 2. de arbit. centur. 3. casu 201. n. 80. Sanchez, Palao, Laymann citati.

19. Clausula ex certa scientia, & plenitudine potestatis, addi solent in confirmatione privilegii jam antè concessi, eumque habent effectum, ut novum addant robur, valorem & solemnitatem privilegio, si illud fortè imminutum, revocatum, vel alio modo fuisset extingendum; quod non efficit confirmatio privilegii expedita in forma communi; hæc enim relinquit privilegium in antiquo suo statu, utpote non supponens Pontificem de negotio plene informatum: cum contra in con-

firmatione ex certa scientia Sum. Pont. præsumatur procedere ex plena notitia negotii.

Dixi. Si illud fortè imminutum, &c. nam si privilegium, quod confirmatur, ab initio fuit invalidum, subreptitium, per sequentem confirmationem ejusmodi clausulis munitam non convalidatur, nisi expresse inferatur. Non obstante falsitate, & subreptione.

Clausula adjuncta in confirmatione, vel communicatione privilegiorum: quatenus SS. Canonibus & Decretis Concilii Tridentini non adversantur, accipienda est collectivè, ita, ut sub nomine SS. Canonum non veniant inserti in Corpore Juris, sed in ipso Concilio Tridentino, uti cum Barbosa in Tract. de Claus. 124. n. 2. docet Reding de privilegiis q. 18. a. 2. contrav. 3. n. 8. Si verò habeatur clausula: *Dummodo decretis Concilii Tridentini contraria non sint*; illa solum excepta censentur, quæ decretis Tridentini specialiter, & per clausulam, non obstantibus privilegiis, sunt contraria, cætera vero in suo vigore relicta censentur, uti est privilegium suscipiendi SS. Ordines extra tempora, quod per Trident. Sess. 13. de Reformatione c. 8. non est sublatum, probant Emmanuel Rodriq Reg. qq. to. 1. q. 8. n. 6. & 7. Palao n. 9. Petfchacher a. 2. in fine.

Plures alias Rescriptorum clausulas, earumque effectus vide apud Canonistas ad Tir. de Rescriptis, quò pertinent, & Salmantic. hic c. 1. p. 4.

ARTICULUS III. De Interpretatione privilegii.

SUMMARI A.

1. Regule pro faciendâ interpretatione privilegiorum.
2. Quis habeat facultatem privilegia doctrinaliter, vel authenticè interpretandi.
3. Privilegium contra jus commune regulariter est strictè interpretationis.
4. Uti & privilegium contra specialem consuetudinem, & jus particulare.
5. Excipiuntur primò privilegia in favorem cause piæ.
6. Secundo inserta corpori Juris.
7. Tertiò privilegia ex motu proprio, vel ex certa scientia.
8. Privilegium contra jus tertii strictè interpretandum.
9. Nisi per talem interpretationem redderetur inutile.
10. Privilegium nemini præjudiciosum est ample interpretationis.
11. Potestas dispensandi indefinitè concessa est ample interpretationis.
12. Diversitas inter actum & potestatem dispensandi.
13. Potestas Episcopis per Tridentinum concessa est lata interpretationis.
14. Potestas eligendi Confessarium aliquando lata;
15. Aliquando est strictè interpretationis.
16. Privilegia Religiosorum ordinariè sunt ample interpretationis.

§. I.

A quo & quomodo faciendâ privilegii interpretatio?

Cum privilegium sit quadam privata lex, & in pluribus legem imitetur, ideo multa, quæ prius de Legum interpretatione dixi, etiam privilegiis sunt accomodanda. Ideoque primò: Tunc solum datur interpretatio privilegii, quando verba & tenor privilegii intentionem privilegiantis non satis dilucidè proponit. Secundo: Sicuti lex est interpretanda, ne reddatur inutilis. *l. non dubium C. de LL. sic & privilegium nec dici potest privilegium, quod nihil operatur, nihilque concedit præter id, quod prius jure concessum est. c. si Papa. de privileg. in 6. c. Ab. 25. de V. S.* Tertiò: Ubi lex non distinguit, neque nos debemus distinguere. *l. non distinguimus. ff. de rescriptis arbitr. c. quia circa. 22. de Privilegiis.* Idem dicendum de privilegio. Quarto: Sicuti lex non includit, ad quod mens & ratio Authoris se non extendit. *l. cum prætor. §. dolo. ff. de legatis*, sic verba privilegii sunt interpretanda juxta intentionem concedentis. Et quintò, cum concedens præsumatur se conformare ad mentem & petitionem supplicantis. *l. si præses. ff. de pœnis c. cum dilectos. §. ceterum de si. de instrumentorum*, ideo privilegia menturam interpretationis etiam accipiunt à mente & precibus supplicantis. Suarez, & Palao citati. Sextò inspicienda materia & motiva concessionis, item pro-

proemium, in quo plerumque intentio Principis exponitur, si fieri possit, consulendus Princeps; demum attendenda proprietates verborum juxta stylum concedentis; nempe si privilegium est Pontificium, juxta stylum curia Romana; si Cæsareum, juxta stylum Curia Cæsareæ. Sanchez, Haunold, Palao, aliique.

2. Causa efficiens interpretationis doctrinalis [suppono ex priori Tractatu aliam esse interpretationem doctrinalem, aliam authenticam] possunt esse viri docti exponentes privilegia secundum jura, & regulas juris. Authenticæ verò nemo nisi Princeps, qui dedit privilegium; ejus quippe est juridicè & authenticè interpretari actum, cujus est condere actum, *l. sacratissime. C. de LL.* unde privilegia à Sum. Pontif. concessa, inferiores Prælati non possunt judicialiter interpretari. Salmanticens. hic cum pluribus à se relatis.

Generalibus tamen Religionum, & respectivè Provincialibus dubia privilegia non tantum doctrinaliter, sed etiam juridicè & authenticè interpretari, concessum esse, ex concessione à Julio II. facta Generali Ordinis Prædicatorum, probant Salmanticenses ibidem num. 75. ubi etiam potestatem limitandi, restringendi, imò etiam pro suis subditis tollendi usum privilegiorum ab Apostolica sede promanantium è Summ. Pontiff. Leonis X. Clementis IV. & Gregorii XIII. concessionibus probant Miranda to. 2. q. 43. a. 4. Lezana to. 1. c. 18. Suarez de Relig. to. 4. tra. 8. l. 2. c. 22. aliique.

§. II.

Quenam privilegia requirant amplam, vel strictam interpretationem?

- Suppositis, quæ in priori articulo dixi de divisione privilegii in favorabile & odiosum:
3. Dicendum primò: Privilegium contra jus commune est regulariter strictè interpretandum, *per c. sanè. & c. porro. de privilegiis.* Ratio est primò: quia quæ parte derogat juri communi, continet dispensationem, quæ est strictæ interpretationis juxta dicta in præcedentibus. Secundò, quia favor communis boni præpoller favori boni particularis: sed jus commune favet bono communi, uti privilegium bono particulari: ergo. Ideo si illegitimo concedatur privilegium ad Ordines suscipiendos, de minoribus Ordinibus accipiendum esse tradit Palao cum Authoribus à se relatis puncto 10. n. 3.
4. Ex quo inferitur, præmissam doctrinam etiam habere locum in privilegio contra specialem consuetudinem, & jus particulare, quando illa juri communi non adversantur: sunt enim instar juris communis, eandemque obtinent efficaciam, adeoque juri specialis privilegii præferri merentur. Dixi tamen, quando juri communi non adversantur: si enim adversantur, tunc privilegiorum lata explicatio favet juri communi, ideoque amplexanda. Salas disp. 20. sect. 10. n. 70. Sanchez. l. 8. disp. 1. n. 12. aliique.
5. Dixi in assertione, *regulariter*: nam excipitur primò privilegium cedens in favorem Religionis, & causæ piæ; tunc enim latè explicandum est,

tamet si aliquo modo deroget juri communi, quia summum jus est, quod pro Religione facit. *l. sumi persone. ff. de Religios. & sumpt. fun.* Ideo privilegia concessa Religiosis, militibus, studiosis sunt amplè interpretationis; interest quippe totius Reipublicæ, Religionis, & boni communis, ut ejusmodi personis faveatur; quæ de causâ licet privilegium concessum filiis familias contra jus commune strictè sit interpretandum; ita ut solum de filiis legitimis intelligatur, *per l. uli. C. de his, qui veniam arat.* accedente tamen favore Religionis & piæ causæ etiam extenditur ad legitimos, prout docent Suarez l. 8. c. 27. n. 7. Salas disp. 17. sect. 6. Palao cit. n. 5.

Excipitur secundò privilegium infernum juri communi, quia tunc non derogat juri communi, sed ipsius partem constituit. Suar. cit. n. 8. unde Sanch. l. 8. de matrim. c. 27. n. 8. & Henricus. l. 7. de Indulgent. c. 22. inferunt, privilegia omnia Religiosis in perpetuum concessa esse latè explicanda non tantum propter favorem Religionis, de quo prius, sed etiam propter perpetuitatem, per quam reputantur, ac si forent corpori juris inserta.

Excipitur tertio privilegium ex motu proprio, vel certâ scientiâ concessum, quod latam petit explicationem, quantumvis juri communi adversetur, tunc quippe est proprium Principis beneficium, ad cujus honoris & auctoritatis favorem pertinet, ut ipsius liberalitas latè explicetur. Suarez cit. n. 8. Sanchez n. 5. & 6. aliique.

Dicendum secundò. Privilegium derogans particulari juri alterius strictam requirit interpretationem, quantum patitur verborum proprietates: quia non præsumitur Princeps velle derogare ejusmodi juri quæsito, nisi illud expresse sit. *l. 2. §. 1. ff. ne quid in loco publico. c. licet in corrigendo de offic. ordin. c. ex tuarum. de auctorita. & usu pallii. & communi DD.* unde inferitur privilegium concessum ad plura beneficia obtinenda esse interpretandum de beneficiis non curatis, quia cum ferè semper deroget non tantum juri communi, sed etiam juri tertii, strictè est explicandum, nisi aliud exprimat. Sanchez. l. 9. disp. 2. n. 13.

Excipitur, si privilegium per strictiorem interpretationem redderetur inutile: non enim voluntas Principis frustrari debet, juxta dicta in priori §. n. 1.

Dicendum tertio. Privilegium, quod in nullius cedit præjudicium, est amplè interpretandum; nam & est purum beneficium Principis, quod latam petit explicationem. *l. beneficium. ff. de constitut. Princ. & favores sunt ampliandi. ex R. l. 15. in 6.*

§. III.

Corollarium.

Inferes ex dictis primò: potestatem dispensandi & absolvendi à reservatis concessam sine expressione personæ dispensandæ, vel absolvendæ esse latè interpretandum; tum quia talis concessio maxime conducit ad sublevandas multorum necessitates, neque refragatur juri communi; tum quia in nullius cedit præjudicium; sicutum

aliquod esset, tunc esset iudicis ordinarii: sed huius præiudicium non est, cum delegatio ab ipso procedat, eiusque nomine exercentur. Ita communis.

Dixi notanter, *sine expressione* &c. nam si datur pro determinata persona, sive sit in favorem dispensaturi, sive dispensandi, strictè interpretandam esse, probabilius docent Suarez l. 6. de LL. c. 17. n. 7. Sayr. to. 1. c. 11. n. 8. Palaohic puncto 11. n. 5. tunc enim facultas dispensandi censetur virtualiter esse inchoata dispensatio, quæ est strictæ interpretationis.

12. Sed, inquis: Cum dispensatio sit strictæ interpretationis, cur non & facultas dispensandi, cum potentia & facultas sit propter actum? Respondeo, dispensationem in particulari esse vulnus legis, ideoque strictè interpretandam; non verò dispensationem in communi, sub qua multæ continentur bono communi, rectæque gubernationi necessariæ. Unde cum potestas dispensandi absolute data non respiciat aliquam dispensationem determinatè, sed indeterminatè quamcunque utilem & necessariam pro bono communi, ideo est beneficium Reipubl. bonoque communi necessarium, ac proficuum, estque non minus amplè interpretationis, quàm potestas ordinaria dispensandi. Hinc

13. Inferes secundò. Potestatem Episcopis concessam in Trid. Sess. 24. c. 6. de reform. esse latè interpretandam, quia est facultas data indefinitè pro bono communi Ecclesiæ, atque inclusa in corpore Juris. Palao n. 6. cum Sanch. aliisque.

14. Inferes tertio. Potestatem eligendi Confessarium, qui absolvat à reservatis, vel dispenset in

votis, aliisque canonicis impedimentis, concessam per Jubilæum, vel Bullam Cruciatæ, esse latè interpretandam ex duplici causa; primò, quia datur ad bonum commune Ecclesiæ, & subveniendum publicis ipsius necessitatibus, adedque continet favorem Religionis, & piæ causæ. Secundò, quia datur ad obtinendam efficacius Indulgentiam & remissionem peccatorum, quæ est purus favor, nec in juris communis, nec in ullius alterius cedens præiudicium. Ita Suar. l. 6. de Voto c. 16. n. 3. Palao cit. n. 7. Petichacher de Leg. q. 8. n. 6.

Inferes quartò. Potestatem alicui in particulari, & in bonum privatum ipsius concessam, eligendi Confessarium, qui ipsum absolvat à censuris, & casibus reservatis, esse strictè interpretandam, quia continet exceptionem à jure communi, quo omnes alii tenentur pro abolitione accedere iudicem superiorem, neque amplius militat favor boni communis, religionis & piæ causæ. Ita AA. citati.

Inferes quintò. Privilegia Religionum alicui S. Ordini, Provinciæ, Monasterio sive directè sive per communicationem concessa regulariter habere latam interpretationem; quia sunt purus favor, & beneficium Principis, & quidem favor religionis & piæ causæ, quo nulli inferitur injuria, aut præiudicium à Summo Pontifice, uti habet in terminis D. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. a. 3. quæstiunc. 5. ad 1. & in opusc. 19. contra impugnatores Religion. c. 4. prope finem, & tenent Palaus tract. 3. disp. 4. puncto 10. n. 6. Azor l. parte 1. 5. c. 23. q. 2. Laymann l. 1. tract. 4. c. 23. n. 6. Bordon. to. 2. resolut. 32. Salmantic. hic puncto 6. n. 86. aliisque complures.

ARTICULUS IV.

De extensione & communicatione privilegiorum.

SUMMARIA.

1. Privilegium non extenditur nisi ad casum formaliter, aut virtualiter expressos.
2. Similitudo, aut paritas rationis, non sufficit ad extensionem.
3. Objectiones solvuntur.
4. Quid sit, & quomodo fiat communicatio privilegiorum?
5. Per communicationem non tribuitur usus, sed jus utendi.
6. Potest extendi ad privilegia concedenda.
7. Clausula restringens quandoque impedit communicationem.
8. Effectus communicationis.
9. Omnes Religiosi Ordines probabiliter communicant in privilegiis.
10. Etiam in concedendis.
11. An privilegium uni Ordini vel loco concessum extendatur ad omnes?
12. Ratio in contrarium.
13. Resolutio cum limitatione.
14. Concessa Officialibus unius ordinis ratione officii communicantur Officialibus alterius Ordinis.
15. Privilegia Prælatorum non sunt communicata inferioribus.
16. Privilegia alicujus Religionis statui adversantia illi non communicantur.
17. Privilegia derogantia juri tertii non communicantur.
18. In communicatione non comprehenduntur gratia prævio examine Cardinalium particulariter concessa.
19. Privilegia Societatis Jesu communicantur sine dependentia à Generali Ordinis.

§. I.

De extensione privilegiorum.

Discendum primò. Privilegium non extenditur, nisi ad casum & personas formaliter, aut virtualiter in privilegio expressos. Ratio est, quòd privilegium unice dependeat à voluntate privilegiantis, quæ non nisi verborum expressione sit manifesta. Unde communiter dicitur, privilegia tantum valere, quantum sonant. Dixi tamen formaliter & virtualiter: nam illa dicimus exprimi virtualiter, sine quibus privilegium inutile redderetur, nullumque commodum afferret privilegiato; cum igitur Princeps in privilegio inten-

intendat commodum & favorem privilegiati, etiam illa, sine quibus commodum non subsistit, expressisse censetur. Ideo privilegium concessum Sacerdoti celebrandi tempore interdicti, censetur etiam concessum ministro, sine quo non celebraret; concessum Domino etiam censetur concessum servo, sine quo Sacrum non accederet.

Dices. Privilegium nobilitatis concessum marito vel patri, etiam extenditur ad uxorem & liberos, nec tamen mariti nomine uxor, nec patris nomine comprehenduntur filii. Respondeo cum Palao punct. 12. n. 2. Hanc extensionem non fieri ex vi privilegii, quo maritus & pater nobilitantur, sed ex distincta juris dispositione, quâ uxor & liberi admittuntur in participationem nobilitatis, quoties illâ maritus & pater decorantur.

2. Dicendum secundò. Privilegium non extenditur ad alios in privilegio non expressos propter similitudinem, paritatem, vel majoritatem rationis. Suarez l. 8. c. 28. n. 11. Palao, Petschacher citati.

Ratio in primis est eadem, quæ priùs; quia privilegium dependet à voluntate concedentis; si ergo uni potius concedatur, quàm alteri, non est causa illud ad alterum extendendi. Præterea privilegium est lex privata & particularis, quâ Princeps beneficium alicui ex speciali ratione concedit: ergo tametsi sit eadem, vel efficacior ratio in alio, non tamen bene inferitur, quòd eidem Princeps beneficium conferre voluerit. Tandem si valeret ista extensio, nihil esset in privilegiis solidum & firmum, multiq; etiam invito Principe privilegio gauderent. Ita AA. citati.

3. Objic. primò *c. per venerabilem, qui filii sunt legitimi*: ubi Pontifex argumento à majori ad minus probare videtur, dispensationem concessam illegitimo ad actus spirituales etiam extendi ad temporales.

Secundò in *c. ex parte tua, 22. de decimis*, privilegium concessum Abbati percipiendi decimas de laboribus terræ suarum parochiarum extenditur ad novalia. Tertiò. Privilegium dispensandi in votis etiam extenditur ad vota jurata, & facultas concessa beneficiario ad percipiendos fructus in absentia, causâ studii Theologici, etiam extenditur ad absentiam causâ studii Juris Canonici.

Respondeo ad 1. illam probationem non esse ipsius Pontificis Innocentii III. sed partis sollicitantis dispensationem pro filiis illegitimis. Ad 2. Respondeo, quia novalia pertinebant ad terram Abbatis, de cujus frugibus concedebantur decimæ, idcirco hæc non est extensio, sed tantum maior privilegii interpretatio. Ad 3. eadem est responsio, quia vota jurata per accessionem voti non extrahuntur à ratione voti: unde in dispensatione voti sufficienter comprehensa intelliguntur.

§. II.

Quomodo tribuatur privilegium per communicationem?

4. Communicari privilegium, est, jus per privilegium concessum uni, etiam concedi alteri,

quod tripliciter fieri posse rectè advenit Palao citatus. Primò per applicationem ejusdem privilegii ad plura subjecta æquè principaliter sine nova concessione: quemadmodum privilegium concessum Religiosis existentibus tempore concessionis, successivè extenditur & applicatur ad alios, qui sunt membra Religionis. Secundò per extensionem ad aliqua subjecta secundariò & accessoriè: sicuti privilegium concessum domino, secundariò, & accessoriè extenditur ad servum ipsius. Utriusque privilegii hæc est effectio, ut illo aucto, vel diminuto respectu illius, cui primò aut principaliter est concessum, etiam auctum & diminutum censatur respectu illorum, ad quos extenditur. Tertiò propriè privilegium communicatur per novam concessionem, quando privilegium ejusdem rationis conceditur ad imitationem alterius jam priùs alteri subiecto concessi; idque reipsâ parùm differt à privilegio *adinstar*, antea exposito. Hinc

Inferes primò, per communicationem privilegiorum non communicari usum privilegii, sed jus illo utendi; unde licet unus non utatur privilegio per communicationem pluribus concessio, nullum exinde præjudicium generatur aliis talis privilegii communicationem habentibus, ut habet Panormitanus in *c. cum accessissent de consuetudine*, & Sylvester verbo *privilegium* §. 11.

Inferes secundò. Quamvis absolute communicatio privilegiorum non extendatur ad concedenda de futuro, sed solum complectatur concessa juxta statum, in quo privilegium tempore communicationis invenitur; tamen si hanc concedentis intentionem verba expriment, etiam extendi ad concedenda de futuro, prout de facto omnes Religiones gaudere communicatione privilegiorum tam concessorum, quàm concedendorum docent Pellizari. tract. 2. c. 1. n. 44. Joannes à Cruce l. 2. c. 4. conclus. 3. Reding controversi. 3. n. 2.

Inferes tertiò. Si in ipsa communicatione privilegiorum addatur clausula restringens: *Ne communicentur aliis communicata, qui privilegio communicationis gaudent*: tunc non censeri privilegium aliis communicatum, nisi per specialem clausulam ejusmodi prohibitioni derogetur: quia privilegia operantur juxta intentionem concedentis verbis expressam: atqui per talem clausulam sufficienter declaratur, non fuisse intentionem Principis, hæc aut illa privilegia in specie sub generali communicatione privilegiorum comprehendendi. Et suffragatur illud vulgatum: *generi per speciem derogari, & sub generali clausula non venit, quæ Princeps non esset in specie verisimiliter concessurus*, Petschacher q. ultima. a. 1. §. 13.

Inferes quartò. Effectum communicationis esse primò, quòd privilegium communicatum fiat æquè proprium illi, cui communicatur, quàm cui erat originariè concessum, ita ut illo quilibet independenter ab altero uti possit, & si forte contingat, uni ipsorum privilegium restringi, vel ablatum auferri, non ideo alteri sit restrictum, vel ablatum, sed is, cui fuit communicatum, illo secundum statum, quem habebat tempore communicationis, uti possit: quia licet privilegium communicatum in ipsa concessione & communi-

eratione suam efficaciam obtineat juxta modum, limitationem, & restrictionem, quæ fuit originariè concessum, cum sit privilegium adinstar, neque communicari possit, quod non præexistit: ramen in facto esse, & in conservari non amplius dependet à privilegio originariè concessio, unde tametsi integer Ordo extingueretur, qui privilegio originariè gaudebat; nihilominus alius Ordo habens communicationem, nullum privilegii detrimentum pateretur.

§. III.

De Communicatione Privilegiorum inter Religiosos.

9. Dubitatur primò. An omnes Religiones Mendicantium & non Mendicantium communicent in privilegiis? hoc est, an, sicut Religioni conceditur privilegium, illud etiam aliis Religionibus censetur concessum?

Respondeo primò. Probabile est, omnes Religiones etiam non mendicantes communicare in privilegiis. Ita Joannes de Cruce loc. cit. concl. 1. Salmantic. c. 1. de privileg. punct. 7. n. 90. Pellizar. cit. n. 41. Petrus, ab Ang. in spec. privileg. disp. 2. sect. 1. Rodriq. to. 3. q. 10. a. 1. Tamburinus to. 1. disp. 17. q. 1. n. 12. Lezana to. 1. c. 3. n. 17. Miranda to. 2. q. 46. a. 3. quorum fundamentum est. Si Summi Pontifices variis Ordinibus Mendicantium dederunt communicationem privilegiorum, aliis Ordinibus tam Mendicantium, quam non Mendicantium concessorum; ac rursus eandem communicationem tribuerunt Religiosis non mendicantibus, tunc rectè inferitur, quòd omnes Religiones tam mendicantium, quam non mendicantium acceperint ejusmodi communicationem privilegiorum: atqui Summi Pontifices ejusmodi communicationem tribuerunt, prout ostendunt præcitati A. A. ex plurimis Bullis Summ. Pontificum, Ordinumque Bullariis, quæ videre est apud eosdem.

10. Dubitatur secundò. An Religiones habeant communicationem in privilegiis tantum concessis, vel etiam in concedendis, quando Pontifex in concessione communicationis non facit specialem mentionem etiam de privilegiis futuris & concedendis?

Negativam tenent Basilius V. privileg. n. 11. Suar. c. 16. n. 8. Palao tract. 3. disp. 4. p. 2. §. 9. n. 1. Affirmativam non minùs probabiliter tueretur Emmanuel Rodriq. qq. reg. to. 3. q. 10. a. 1. Miranda to. 2. q. 46. a. 5. Hier. Garcia tract. 8. diff. 1. dub. 4. n. 3. Salmantic. cit. n. 98. Ratio est: Qualibet Religio communicat cum aliis Religionibus in privilegiis concessis: sed sunt plures Religiones quibus concessa est participatio & communicatio in privilegiis etiam concedendis, prout Leo X. concessit Dominicanis & Minoribus, Clemens VII. Carmelitis, Gregorius XIII. Cisterciensibus, Paulus V. Societati: ergo Religio communicans cum altera in privilegiis concessis, etiam communicat in concedendis.

11. Dubitatur tertio. An privilegium uni Ordini vel Monasterio concessum, per communicationem extendatur ad totum Ordinem, vel alias Religiones? Affirmativam cum pluribus ample-

R. P. Mezg. Schol., Tom. II.

ctitur Joannes de la Cruz l. 2. c. 4. conclus. 3. ex ea ratione, quia Clemens VIII. in Bulla 21. & 22. gratias & privilegia concessa Monasterio montis Serrati communicavit toti Ordini S. Benedicti, sicut de privilegiis concessis Monasterio Vallisolerano D. Ben. testantur Salmantic. citati n. 108. & de Monasteriis Minorum, ac Prædicatorum affirmat præcitus de la Cruz. Cùm igitur Summi Pontifices Ordinibus præcipuè Mendicantium amplissimam facultatem tribuerint communicandi privilegia quibusvis Congregationibus, Societatibus, piisque locis concessa, videntur privilegia uni Monasterio concessa, ad integros, imò ad omnes SS. Ordines per communicationem extendenda.

Verùm, ut optimè advertunt Salmanticenses loco citato, hæc sententia in tanta amplitudine accepta non potest subsistere, tanquam aliena à mente Summorum Pontificum nimio opere exorbitans à jure communi, & parens multarum confusio-nium; quis enim credat, privilegia concessa alicui Conventui in partibus Infidelium propter inopiam SS. ministrorum, etiam concessa aliis Provinciis inter medios fideles absque simili difficultate constitutis, aut privilegia & indulgentias concessas alicui monasterio propter aliquam celebrem peregrinationem, corpus alicujus sancti, miraculosam imaginem &c. per communicationem extendendas esse ad alia monasteria, & pia loca, ubi ejusmodi motiva deficiunt?

Respondeo igitur. Privilegia & gratiæ uni loco concessa tunc per communicationem extenduntur etiam ad alia Monasteria, & Religiones, quando motivum concedendi est idem, simile vel æquivalens in omnibus, ut titulus Religionis, doctrinæ &c., secus si motivum sit alicui loco singulare, & quasi personale, Suarez de leg. l. 3. c. 28. Lezana to. 2. c. 1. n. 52. Salmantic. cit. n. 115. Secunda pars liquet ex difficultatibus primùm numero præcedenti oppositis. Prior pars assertionis inferitur ex amplissima concessione communicationis facta per Summ. Pontiff. & num. 11. exposita, quæ sub modò dicta limitatione sufficientem fortitur effectum.

§. IV.

Corollaria.

Colliges primò: Privilegia concessa Generali Præfidenti, Abbati, Provinciali, Confessariis, Concionatoribus, Doctoribus, Lectoribus unius Ordinis ceteri communicata Generali, Abbati, &c. alterius Ordinis, supposito, quòd propter superioritatem, aut ministerium concedantur, quod & aliis Ordinibus est commune. Similiter Indulgentiæ concessæ uni Religioni pro festis sui Ordinis, censentur communicatæ aliis Religionibus pro suis festis & Patronis, non obstante, quòd plurium Sanctorum festa in uno, quàm in alio ordine celebrentur, sic declaravit & concessit Ordini Prædicatorum Jul. 2. Bull. 8. & Sixtus IV. Bull. 33. apud de la Cruz citatum n. 2.

Colliges secundò. Privilegia Prælati concessa non communicari inferioribus; e.g. quæ dantur Provinciali non censentur communicata Priori,

X x 2

Priori,

Priori, quæ Priori, non sunt communicata Conventuali, quia superioritas, propter quam concessa fuisse suppono, non reperitur in inferioribus: Unde nec privilegia concessa Abbati Cassinensi, tanquam Patri & Abbati Abbatum, ob singularem & characteristicam proprietatem ipsi soli competentem, ad alios Abbates extendi possunt. Privilegia tamen Religiosis in commune concessa, etiam concessa sunt Superioribus; neque enim per prælationem desinunt esse Religiosi, sed in favorabilibus cum subditis Religiosis participant.

16. Colliges tertio. Privilegia alicujus Religionis statui, statutis, legibusque adversantia illi non communicari: nam prout opponuntur regulis & legibus, sunt odiosa & restringi debent, & quod in favorem conceditur, non debet derogari in odium; neque potest præsumi de universali Pastore, quod intendat regularem observantiam relaxare, Pellizar, cum communi. Et ita licet Mendicantes per communicationem habeant privilegia non Mendicantium, non tamen possunt celebrare Divina in Pontificalibus, quia hoc repugnat ipsorum statui, sicuti nec privilegia Ordinibus Militaribus concessa aliis Religiosis communicantur.
17. Colliges quarto. Non esse locum communicationi in privilegiis, quæ dantur alicui Ordini contra jus tertii: quia per generalem concessionem sine clausulis derogantibus non censetur Princeps derogare velle alterius juri quæsito. Unde licet Dominicani habeant privilegium non solvendi quartam funeralem, non sequitur, quod alii Religiosi per communicationem gaudeant eodem privilegio, quia est contra jus Ec-

clesiarum parochialium, pro qua sententia duas declarationes Cardinalium allegat Barboia, de offic. & potest. P. c. 25. n. 9.

Colliges quinto. Sub communicatione privilegiorum non comprehendit illas gratias, quæ per Brevia particularia præcedente examine & decreto alicujus Congregationis alicui monasterio, vel Religioni conceduntur; quia comparantur inter illa, quæ raro & difficulter conceduntur, sapiuntque propterea naturam singularem gratiarum: qualis est facultas celebrandi de aliquo Sancto, reducendi numerum Missarum, alienandi bona, &c. Ita Lezana to. 3. V. Missa n. 51. Petrus ab Ang. disp. 2. sect. 2. n. 17. aliique.

Colliges sexto. Illam restrictionem, quæ Gregorius XIII. voluit, ne Religiosi Societatis Jesu suis, aut aliorum communicatis privilegiis uterentur, nisi in quantum sunt ab ipsorum Generali communicata, non obesse aliis Religiosis, quin communicatis privilegiis Soc. Jesu etiam independentem à suo Generali uti possint: quia illa restrictio non est privilegii, sed unius, in quo voluit S. Pontifex, Religiosos Societatis à suo Generali dependere, eò quod hoc sit proprium statui Societatis, ut tota ipsius gubernatio à primo Capite dependeat. Unde in Bulla dicitur: *propter infiniti ipsius ab aliis Religionibus diversitatem.* Quæ ratio cum non militet in aliis Religionibus, & aliàs non onera & odia, sed favores communicentur, non est ratio, cur ejusmodi restrictio ad alios Ordines extendi debeat. Ita Palao tract. 3. disp. 4. p. 2. §. 9. n. 4. cum Pellizar. Rodriq. aliisque plurimis.

ARTICULUS V.

De causa efficiente & subjectiva privilegiorum.

SUMMARI A.

1. Legislator est causa efficiens privilegii.
2. Conferuntur subditis & non subditis.
3. Desertores Religionum & expulsi privantur privilegiis.
4. Illimitato privilegio licet uti ubique.
5. Item si nulli juri adversetur.
6. Item tamen si adversetur juri communi.
7. Non licet uti privilegio contra leges municipales, quibus etiam peregrini ligantur.
8. Licet uti privilegio contra pariter privilegiatum.
9. Regule in privilegiis inaequalibus observande.
10. Exponitur axioma juris: Privilegiatus non gaudet privilegio contra pariter privilegiatum.
11. Quandoam sufficiat privilegium à superiore Principe contra præceptum Principis inferioris particulare.

§. I.

A quo, & cui privilegium concedi possit?

1. **Q**uæres primò. Quis possit privilegium concedere? Respondeo. Privilegium conce-

dere potest solus Legislator. Nam vel privilegium est contra jus, adeoque includit dispensationem & derogationem legis; & hoc clarum est soli Legislatori competere, aut est præter jus commune, vel municipale, & tunc saltem obligat subditos, ne privilegium impediatur in alio sui privilegii, quem esse indirectum effectum privilegii initio dictum est: sed etiam istud nempe potest nisi Legislator. Atque ita docent Suarez l. 8. c. 8. n. 1. Salas disp. 17. sect. 3. Palao tract. 3. disp. 4. p. 4. n. 1. Potest igitur Pontifex & Imperator concedere privilegium derogans juri communi, Episcopus legi Diocesanæ: omnes tamen in materia sibi subjecta, in qua subditos obligare possunt.

Quæres secundo. Cuiam possit concedi privilegium? Respondeo, si privilegium est dispensativum legis, tunc solum conferuntur subditis, ut patet ex dictis; soli quippe subditi lege stringuntur. Si privilegium est pure concessivum favoris, etiam conferri potest non subditis: non enim privilegiatus obligatur ad usum sui privilegii, sed illud accipit per modum liberæ donationis, & sic Princeps potest forensibus concedere benefi-

tatem è suo regno extrahendi arma, frumentum, merces, quas aliquin subditis extra provinciam vendere non liceret. Ita Palao loc. cit. aliiq.

3. **Quæres tertio:** Quibus personis usus privilegiorum alicui S. Ordini concessorum sit interdicitus? **Respondeo.** Privantur usu privilegiorum S. Ordini concessorum apostata, & desertores Religionis, qui habitum dimitunt prætextu Professionis nulliter emissæ: nec non, qui ex Ordine legitime sunt eieci. Prior pars constat ex Tridentino Sess. 15. de Regular. c. 19. sic statuente. *Quod si antea habitum sponte dimiserit, tanquam apostata puniatur; interim verò nullo privilegio sue Religionis utatur.*

Altera pars, quam cum Suare & Pellizario tradit Reding l. cit. controv. 49., ex eo probatur; quòd ejusmodi eieci nullis tenentur amplius observantibus regularibus: adeòque nec frui debeant commodis & privilegiis Religionis, cum juxta vulgatam Juris regulam, non sentiens onus neque commodum sentire, debeat: Sic neque Clericus ab ordine Clericali depositus, amplius gaudet privilegio fori, vel Canonis.

§. II.

Quomodo aliquis privilegio uti possit aut debeat?

4. **Quæres quartò.** An quis possit uti privilegio extra territorium concedentis?

Certum est primò. Possit te uti privilegio illimitatè concessio, in omni loco contento sub territorio concedentis; uti econtrà non potes in omni eo loco uti, si privilegii concessio limitetur ad determinatum locum: quia potestas utendi privilegio pender à voluntate & intentione privilegiantis; unde si illa nihil limitet, poteris uti illimitatè; si quid limitet, debes uti limitatè.

5. **Certum est secundò.** Si privilegii usus neque juri communi, neque particulari alicujus loci adversetur, posse te ubique locorum illo liberè uti: nam sicut privilegium concessum absque determinatione temporis est perpetuum, ita & concessum absque determinatione loci deservit pro omni loco: neque sequitur locum, sed personam, si sit personale; vel qualitatem personæ, si sit reale: ideo dispensatus ab Episcopo à jejuniò, abstinentia carniùm, irregularitate, &c. ubivis locorum potest uti suo privilegio.

6. **Certum est tertio.** Si privilegium sit contra jus commune, licitum esse ipsius usum extra territorium concedentis, quia jus commune non est magis uni, quàm alteri loco affixum. Unde simpliciter solutus à vinculo juris communis, solutus est pro omni loco. His soppòsitis ad quæsitum

7. **Respondeo.** Si privilegium adversetur legibus municipalibus & particularibus locorum, quibus etiam peregrini & forenses adstringuntur [quales dari suppono ex priùs dictis in Tractatu de LL.] non potes illo uti in tali loco extra territorium concedentis; quia concessor privilegii vel non voluit per generalem illius concessionem, vel si sit Legislator inferior, aut æqualis conditionis cum Principe loci, non potuit te absolvere à jurisdictione Principis aut Magistratús

illius loci, per quem transis. Unde tametsi generali concessione à Principe tuo habeas privilegium gestandi arma, si tamen venias ad locum, ubi specialis lege propter bonum commune vetitum est gestare, vel inferre arma, teneberis abstinere ab armis, uti fit in Univeritate Lovanensi, & nostra Juvaviensi. Si verò leges municipales & particulares tuo privilegio contrariæ sint ejus conditionis, ut illis peregrini transeuntes non stringantur [ut itidem suppono ex dictis in hoc Tractatu de LL.] poteris uti privilegio, si absit scandalum, quia tunc non es subjectus jurisdictioni illius loci, quæ transis. Ita Magnif. P. Pertschacher cit. a. 5.

Quæres quintò: An liceat uti privilegio adversus alium æqualiter privilegiatum?

Nota. Concursum privilegiatorum contingere aliquando in privilegiis æqualibus: uti si duo monasteria habeant jus non solvendi decimas; aliquando in privilegiis oppositis, uti si habeas privilegium ab omnibus in tuo territorio existentibus accipiendi decimas; alius verò habeat privilegium nullas decimas solvendi. Quo posito

Respondeo primò: Licet uti privilegio adversus alium æqualiter privilegiatum. Suarez citat. c. 23. n. 3. Palao loc. cit. Pelliz. n. 78. Reding controv. 4. n. 13. & desumitur ex *L. ult. ff. ex quibus causis majores*. Ratio est, quia cum privilegia sint æqualia, non est major ratio, cur unus utatur suo privilegio, quàm alius. Ideo si duo Monasteria vicina habeant privilegium non solvendi decimas, neutrum poterit ab altero decimas exigere. Et Clericus tenetur servare privilegium Canonis respectu alterius Clerici.

Respondeo secundò. In privilegiis inæqualibus aut oppositis sequentes regulæ ex Pellizario n. 78. observari possunt. **Primò:** in privilegiis imparibus majus præfertur minori. **Secundò** dupliciter privilegiatus præfertur simpliciter privilegiato. **Tertio:** quando ex una parte agitur de damno vitando; ex altera parte de lucro acquirendo, præferendus est, qui agit de damno vitando. **Quartò:** Habens privilegium speciale, præfertur habenti privilegium generale: quia generi derogatur per speciem ex *R. l. 34.* ita Petrus habens privilegium speciale non solvendi decimas, præfertur Joanni habenti privilegium generale exigendi decimas. **Quintò:** Privilegium, cui assistit jus commune, præfertur alteri non habenti assistentiam juris; juxta Covarr. pract. qq. c. 7. §. 6. **Sextò:** Antiquius privilegium prævalet recentiori, quia Princeps non censetur velle alterius juri quæsito derogare, nisi exprimat. Unde sicuti Monasterio competat privilegium, nequa fabrica intra mille passus ædificetur, & aliud monasterium habeat privilegium intra totidem passus ædificandi, attendendum est, quodnam ex his privilegiis sit antiquius; & ab antiquiori standum.

Oppones vulgatum axioma Juris; Privilegia-10. tum non gaudet privilegio adversus pariter privilegiatum: ergo in concursu duorum privilegiorum non datur usus privilegii contra pariter privilegiatum. **Respondeo cum Magnif. P. Pertschacher loc. cit. illud axioma intelligendum esse,**

esse, quod privilegiatus non gaudeat privilegio contra fortius privilegiatum; quia, ut advertit Palao n. 3. fortius privilegium subintelligitur exceptum in opposito debiliori; unde nec proprie sunt opposita.

- II. Quæres sextò. An, ut possis agere contra particulare præceptum alicujus loci, sufficiat ut habeas privilegium dispensationis à Principe superiore, vel supremo? v. g. an, ut excuseris à particulari jejuniò Diocesano ab Episcopo indicto, aut introducto, sufficiat privilegium simpliciter non jejunandi, impetratum à Summo Pontifice? Videri potest, quòd non: quia ut antecederet dictum, non præsumitur per generalem privilegii concessionem voluisse supremus Princeps derogare legi particulari, nisi exprimat. Nihilominus cenleo cum Salmanticensibus, & Salas de Leg. disp. 17. sect. 10. n. 56: Habentem à summo Pontifice privilegium absolutum non jejunandi, etiam non teneri ad jejunia diocesana; quia non præsumitur in ejusmodi præcepto Episcopus voluisse fortiozem obligationem inducere, quàm sit illa, quæ ab ipsis Apostolis est deriva-

ta & accepta: sed præceptum non jejunandi in Quadragesima, & feriis sextis est ab ipsis Apostolis acceptum & derivatum: ergo cum per absolutum privilegium non jejunandi aliquis à tam urgenti & sacra obligatione sit solutus, merito etiam ab Episcopali lege absolutus à fortiori censetur.

Ad rationem dubitandi respondent Salmatic. Non præsumi, quòd in generali concessione dispenseretur in lege vel præcepto particulari, quando materia præcepti particularis non frequenter solet cadere sub jure communi: atqui materia jejunii majori ex parte cadit sub jure communi, & quidem sub fortiori & sacratori obligatione: adeòque facta dispensatione circa materiam jejunii absolute, circa jejunium quadragesimale, Vigiliarum, 4. temporum, &c. censetur etiam facta circa jejunium particulare, nisi fortè tale jejunium in casu extraordinario & causâ publici boni, avertenda calamitatis, &c. sit introductum; ad quem casum mens Sum. Pontificis sese extendere utique non præsumitur.

DISPUTATIO XXXVIII.

DE

Cessatione privilegiorum.

Privilegia variis modis cessare & amitti possunt, quorum aliqui considerantur ex parte ipsius privilegii, ut est tempus, conditio, & causa finalis ipsius: alii ex parte concedentis, ut est mors, & revocatio concedentis: alii ex parte privilegiati, quales sunt, non usus, abusus, renuntiatio. Nunc de singulis agendum.

ARTICULUS I.

De modis, quibus cessant privilegia ex parte ipsius privilegii.

SUMMARI A.

1. Privilegium expirat post præscriptum temporis terminum.
2. Privilegium in materia favorabili non finitur unico actu.
3. Finitur in materia odiosa.
4. Privilegium conditionatum cessat ablata conditione.
5. Deficiente causâ finali ante privilegium integrè concessum, cessat privilegium.
6. Sufficit causam existere tempore concessionis, quando solo concedentis actu perficitur.
7. Cessat privilegium, cum ipsius usus sit illicitus.
8. Cum privilegium in executione pendet à mandatorio, causa debet existere etiam tempore executionis.
9. Suspenditur privilegium cessante causâ, quæ habet aliquem temporis tractum.
10. Nisi cum causâ ex sua natura stabiliter inhaeret.

§. I.

Lapsus temporis.

- I. **C**um privilegium dependeat ab intentione & voluntate concedentis, certum est, expirare

privilegium, quando ex verbis ipsius sufficienter colligitur, illud pro determinato tempore, quod nunc præterit, fuisse concessum. Igitur

Quæritur primò. An privilegium sine clausula ad certum tempus limitante concessum, quales sunt, pro hac vice, semel in vita, in anno, in mortis articulo, &c.) lapsu temporis vel unico actu expiraret?

Respondeo primò. Privilegium absolute concessum non finitur unico actu in materia favorabili, nisi ex circumstantiis & materia subiecta aliud inferatur, quia est favor Principis, qui ampliam exigit interpretationem, & comparatur liberali donationi, quæ suapte naturâ perennat. Ideo dispensatus ad obtinendum beneficium, potest uno dimisso aliud acquirere: dispensatus in voto castitatis potest mortuâ conjuge aliam ducere, dispensatus in recitatione Breviarii, in jejuniò &c. semper potest uti dispensatione &c.

Dixi primò; in materia favorabili: nam excipiuntur dispensationes in materiis odiosis, quæ restringuntur ad unum & primum actum, ut recitat Felinus in c. 2. de renga & pace. Unde con-